

PROOEMIUM

Definitio. — Teodicea, seu etiam Theologia naturalis, nuncupatur illa philosophiae pars, quae Deum considerat, non prae lucente supernaturali lumine revelationis (id enim praestat *Theologia sacra*), sed prae lucente lumine tantum naturali rationis nostrae.

Divisio. — De Deo triplex quaestio instituenda venit, scilicet: — 1) utrum ipse existat; — 2) quatenam sit eius natura; — 3) quomodo se habeat relate ad alia entia inferiora. Hinc partitio universae Theologiae naturalis in tria capita, quorum primum continebit omnia quae spectant ad demonstrationem existentiae Dei; alterum versabitur circa attributa Dei absoluta; tertium denique versabitur circa attributa Dei relativa.

Utilitas et excellentia. — Si scientia perfecta alicuius rei haberi nequit sine eius altiorum causarum notitia, cum Deus sit causa altissima efficiens, finalis atque exemplaris cunctarum rerum, liquet scientiam nostram, de corporeis ac spiritualibus rebus huc usque perlustratis, perfectionem attingere non posse, si Deum eiusque respectus varios erga alia entia ignoramus. Scientia igitur, nedum respuat, necessario Deum requirit: materialistae vero, evolutionistae, positivistae, uno verbo, omnes qui Deum plus minusve aperte denegant, et sine ipso conantur philosophari, non philosophantur, sed potius, ut inquit D. Augustinus, praefocantur.
